Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

OFFICIO ÆGROTANTIVM,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ, WESTPHALIÆ, & RELIQVA,

PRÆSIDE

GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

HEREDITARIO in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORE, COMITE PALATINO CÆSAREO, SACRÆ CÆSAR. ET CATHOL. MAIEST. AC SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARIO, VINARIENSI AVLICO, ET ARCHIATRO, THEORETICES PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, TOTIVS ACADEMIÆ ET FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO, SVMMO OBSERVANTIÆ CVLTV IN OMNE ÆVVM DEVENERANDO,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME ACQVIRENDI,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

IOHANNES ERHARDVS DONAVERVS,

AD D. FEBRVAR. M DCC XIX.

LOCO ATQVE HORIS, ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

IENÆ, TYPIS RITTERIANIS.

derent, vilipendantque; hinc ex tam amplo vastoque campo, quem studium medicum offert, consulto elegimus, atque constituimus præsens specimen Dissertationis Inauguralis exhibendi de OFFICIO ÆGROTANTIUM: *& hoc quidem eo lubentius, quod Autores atque scripta de eadem materia tractantia minus frequenter habeantur, nec non utilitas ac necessitas ex parte tam Ægrotantium, quam ipsorum Medicorum præluceat inde insignis: siquidem illi, quid sibi faciendum, si nesciant, exin discant: hi vero illos adeuntes, de quonam eosdem monere possint atque debeant, occasionem accipiant.*

Lubuit autem totum laborem dispescere in duas sectiones, quarum altera aget de Officio Ægrotantium erga sese ipsos, altera vero sistet Officium Ægrotantium erga Medicos: ratio autem huius est, quoniam ipsum hoc Officium laudatum constituendum videtur duplex, vel enim terminatur in ipso Ægroto, vel in Medico: hoc exponitur in sectione secunda, istud vero in prima. Eo ipso autem

non

non reiiciuntur aliorum distinctiones, si quas habent meliores, faciliores, breuiores, magis ac melius ad suum obiectum adplicabiles, remque exhaurientes, quam quidem hæc data. Cum interim allatam hancce, laudatis virtutibus sufficienter præditam, scopumque præpositum obtineri posse crediderimus; ideo eandem reliquis anteferre maluimus merito.

Nostrum autem scopum vt feliciter optatoque cum euentu obtineamus, multumque hic conferat aliquando in decumbentium salutem, nec non vniuersæ Medicinæ decus & elegantiam, supremi vero Archiatri gloriam, calidissimis precibus huius auxilium deuote imploramus.

SECTIO I.

DE OFFICIO ÆGROTANTIVM ERGA SE IPSOS.

§. I.

Vitio haud erit vertendum, si neglectis iis, quæ spectant ὀνοματολογίαν, seu vocum in titulo positarum expositionem, variam significationem, definitionem, aliaque similis farinæ, tanquam omnibus iis, qui præsentis Dissertationis Lectores sese profitebuntur,

per se satis superque nota, ad scopum vero præpositum vel parum, vel omnino nihil conferentibus, inoffenso pede aggrediemur ipsam tractationem, tanquam maioris momenti vtilitatisque rem: præmissis saltem paucissimis, personam, de cuius officio in præsenti agetur, concernentibus, in duabus subsequentibus periodis.

II. Licet vox Ægrotantis, quid significet, neminem facile fugiat, tamen consultum erit indicasse, hoc loco sub se comprehendere non tantum hominem, in eum statum positum, in quo actiones animales ac vitales adeo corruptæ, irritæ ac deprauatæ, pessimisque symptomatibus comitatum, vt decubitus hinc euitari non possit; sed hisce non exclusis, velimus, vt huc trahatur quoque dispositio ad talem statum, siue, quod idem est, vbi saltim in fieri deprehenditur status eiusmodi morbosus. Si vero quis terminum adeo extendere velit, vt sub eo comprehendat omnes homines, eidem non sumus adeo contradicturi; siquidem nemo facile reperiatur quoad omnia perfectissime sanus, ex sententia multorum Medicorum æque ac Philosophorum & Theologorum: Sufficiet autem nobis, si ii, qui, quo demumcunque sit modo, medica opera habent opus, subintelligantur. Hincque si quis dicet: Sanos nec Medico nec Medicamentis egere, sed solum ægros; adeoque officium nostrum, de quo sermo, tantum ad hos, non vero illos spectare: facile poterit responderi vel iam dictis, vel etiam hisce: quod illud officium præcipue quidem consistat in eo, vt media debita & necessaria ad sanitatem labefactatam erigendam legitime adhibeantur, sed non solum; siquidem maioris prudentiæ æstimandū, tam ex parte Ægrorum, quam Medicorum, posse præuenire, quam præueniri, & ex post

facto,

facto, rem in integrum ponere velle: effato enim Ciceronis, *Omne malum nascens, facile opprimitur, inueteratum fit plerumque robustius;* & Ouidii Lib. V. Trist.

Turpius } *eiicitur, quam non admittitur hospes.*
Tardius }

Licet itaque verum sit, Sanos non egere Medico ac Medicamentis, qua morborum extirpationem, egent tamen: qua corporis ab iisdem præseruationem, & continuationem εὐεξίας.

III. Porro ne quis obiiciat, infantes, aliosque patientes sæpissime opis indigos & infirmos esse; imo non raro tali in statu positos deprehendi, vbi neque consuetæ actiones animales, visus, auditus, sensus interni & motus; neque naturales, nutritio, auctio; neque vitales, respiratio, calor & pulsus, reperiundæ, sola vita relicta: quanam ratione hi præstare tunc possint ea, quæ de officiis ipsorum desiderari possent, & passim quoque desiderabuntur: facile soluitur dubium ita: quem latet, quod, vbi ipsi decumbentes viribus & potentia destituantur, ea perficiendi, quæ quidem deberent, parentes, amici, vel alii adstantes, quantum fieri potest, eorum vices suppleant? Quis hinc dubitabit, non eodem modo sese habere cum hocce officio? Hisce ita positis nemini dubium orietur, si in ipsa tractatione, occasione data officio huic subiecerimus non solum stricte sic dictos ægrotantes, sed & tales, qui ad sensum non ægrotant; nec non si plus interdum ex decumbentibus desiderauerimus, quam quidem præstare possint. Sed nunc ad rem ipsam.

IV. Quanta sit vis officii, quod obiectum Dissertationis huius constituit, iam dudum obseruauit ipse Galenus, dum idem imperat lib. I. de diebus decret. cap. II.

sequen-

ſequentibus verbis : *Ægros omnino conſtantes, item temperantes & Medico obedientes eſſe decere.* Ex recentioribus vero inter alios Lindenius in Select. Medic. p. 23. affert elegantisſima verba merito huc trahenda: *Magna*, inquit, *pars curationis eſt, velle curari: oſtendunt ſe velle, non ſolum qui de ſanitate ſua, optimo vitæ condimento, ne quid a cauſis morbificis detrimenti capiat, aut, ſi cepit, ipſa de vita ſolliciti, ne quis grauior morbus ſupremum acceleret diem, Medicum adeunt, accerſiue iubent; ſed qui intrepide eius ſe fidei atque virtuti committunt.* Qui itaque officio ſeſe ipſum reſpicienti in ſanitate vel conſeruanda, vel præſeruanda, vel depreſſa reſtituenda ſatisfacere vult, debet habere deſiderium ſanitatem integram reſeruandi, a periculis muniendi, amiſſamque recuperandi, & media ad hæc obtinenda debita & necesſaria legitime admittere & adhibere: & hæc directe finem ſiue ſanitatem inferentia qui obſeruauerit, officio ſeſe ipſum reſpicienti ſatisfecerit.

V. Vix neceſſum eſſe videbitur haud paucis, deſiderium in præcedente §. prolatum deſideraſſe, quoniam ſanitas præfertur omnibus iis, quibus fruimur in terrena hac vita, deſiderium vero per ſe cadit ſuper vtilia, grata & accepta. Aſt omnino reperiuntur quidam ex genere humano, qui non modo deſiderium hoc non habent; ſed &, quod turpe admodum dictu, inter rationales, tanquam nobilisſimas, præ reliquis creaturis, quæ ſingulæ interitum ſui quouis modo abhorrent, & abarcere ſtudent; tamen quidam, inquam, ſunt reperiundi, qui ſtudio propria mortis cauſa fiunt, & hoc quidem æque contra connata nobis, & indita a natura principia, ac ipſa diuina præcepta; quam quidem in rem velle exempla adducere, haud erit neceſſum,

cum

cum proh dolor! vbique terrarum atque locorum frequentia ſatis ſint. Horum ſub numero comprehenduntur merito & illi, qui ſatis ſciunt & ſentiunt, ſeſe male habere, ſiue vt vulgo dicunt: Er geht herum als vvenn er den Pfipff hätte; & tamen neque volunt haberi pro ægris, multo minus medelam adhiberi, neſcio ex qua demum cauſa, ſuperſtitione vel ſingularitate, ſummo cum damno, modo non ipſa ſæpius morte luenda, peſſime hi non attendunt illud Ouidii:

Principiis obſta, ſero Medicina paratur:
Dum mala per longas inualuere moras.

Culpandi hoc loco merito ſunt ii, qui in contrario huius peccant, id eſt, qui vel ſibimet imaginantur, vel ab aliis perſuaderi patiuntur, ſe morbo hoc illoue eſſe affectos, quod tamen reuera non eſt; quam in rem exempli loco vnicum homunculum lubet & licebit in medium proferre, qui ſemel perſuaſus fuit, ſe infectum eſſe morbo gallico, cuius tamen nulla aderant indicia, vel ſymptomata, neque prægreſſa vlla cauſa: iterumque pilis caudæ equinæ longioribus contubernalis aſtutia intruſis aliquot ouis, ipſi propinatis: hiſce repertis perculſus fuit totus, miraculum patefecit adſtantibus, quorum quidam ex libro vetuſtiſſimo, neſcio cuius autoris, malum rei omen oſtendit & explicauit, magicasque mulierculas hoc modo ſæpiſſime nocere ſatis omnibus eſſe notum, multisque expertum maximo cum damno: maiori adhuc terrore hinc exceptus, de auxilio quæſiuit: & ecce duabus hiſce vicibus, poſt aſſumptos tubulos nicotianæ fumandæ dicatos, per longum vſum nigro colore tinctos, inque puluerem redactos, ad ſudorem euocandum quinque horas lecto in muſeo calefacto conſtituto

traditus eſt, ad virium magnam vſque imminutionem & iacturam, quæ non parum augebatur obambulatione extra vrbem poſthac inſtituta, vt denique pedibus inſiſtere & hora vndecima in locum conſuetum prandii celebrandi cauſa vix poſſet abire. Medium itaque qui cupit ingredi ſibi commendata habeat Platonis verba, teſtante Plutarcho in Lucullo ſic ſonantia: *Expectatio virtus, cunctatio vitium, matura & opportuna actio eſt virtutum magiſtra: hinc occaſio medicamentis ſalutis & necis adferendæ, tribuit momentum.* Præſtat, elogio Senecæ, ad primum molli ſenſum opem quærere.

VI. De mediis ſupra §. IV. laudatis omneque punctum fere abſoluentibus, nunc dicendum eſt: Inter illa autem primarium eſt ipſe Medicus, qui tanquam Director eorum omnium, quæ in cura inſtituenda obſeruanda veniunt, conſiderandus, a Ter optimo maximoque hunc in finem Ægris conceſſus. Talis autem Medicus eſto admittendus, qui v. g. cum laude & applauſu gradum obtinet, qui re ipſa iamiam demonſtrauit in arte medica peritiam, iudicium atque experientiam in curandis multis aliis, præcipue tamen in ſimilibus quoque morbis, ſeſeque dignum eſſe Medicinæ Doctoris Titulo atque inſigniis. His igitur ipſis reiiciuntur omnes, quocunque demum veniant titulo Medicaſtri ac Falſarii, præprimis magi, & ſimilis farinæ homines, qui non ſine ſuperſtitione & innumeris modis abominabilibus, a DEO & Magiſtratu puniendis, morborum curas ſuſcipiunt: nam *ab his Ægroti pretio quaſi*, vt loqui amat Bohnius Celeberr. in Tr. de Officio Medici, *emunt ſpem ſalutis incertam*, modo non mortem ſæpiſſime ipſam, vt taceamus pœnam, qua iuſtiſſimus iudex vi ſecundi Decalogi ſui eos afficere decreuit, qui eiusmodi hominum auxilia

xilia implorauerint. Attendatis quæso, Ægrotantes optimi, quam pulchre de his loquatur Turrianus: *Nullus*, inquit, *est, qui suos agros villico rusticarum rerum inexperto; nullus, qui ædificationem alienissimo ab architectura; nullus, qui pecuniæ procurationem & dispensationem huiusmodi rei imperito commendet: Vitam tamen propriam, reliquis certe longe præferendam, adeo periclitantus.* Merito ea propter laudandæ hic veniunt quædam respublicæ, in quibus habentur Constitutiones ac Ordines, vti reliquarum rerum, sic quoque medicarum vid. v. g. Fürstlich Sächsische Altenburgische Landes-Ordnung, Part. 2. cap. 3. Tit. V. pag. 195. vbi nominatim in curationibus morborum prohibentur admittendi: *Apothecker, Storcher, Land-Fahrer, Schlangenfänger, Kräuterkrämer, Zahnbrecher, Scharffrichter, Schäffer, Schinder, &c.*

VII. Cum sermo hic sit de Medicis, notandum bene est, quod habet Valentinus in Animaduers. ad Machiauellum proposit. 2. pag. 11. *Medicus, cui vera eruditio non contingit, multa intempestiuaque loquacitate se effert, vt inscitiam suam apud imperitos homines tegat, cum vere docti ac prudentes Medici moderate se gerant in hac parte.* Non inconuenienter hoc loco in medium producitur dubium, quod cuiquam facile suboriri posset: Quod, si duo Medici e. g. simul consulantur in vno eodem casu, quorum alter certo promittat sanitatem, alter vero, nisi plane pro mortuo Ægrum accipiat, tamen satis dubiosum reddat euentum; quisnam sit eligendus? Sine dubio multi erunt reperiundi, qui, priori isto electo, alterum abire velint, nullo insuper instituto examine; sed ita impromiscue vt hoc fiat, nollemus, quia sæpissime, si non semper rudiores ac impe-

ritiores quiuis plus promittunt aliis, quam quidem ſeruare poſſunt, ſibique plus tribuunt, quam in ipſis eſt reperiundum: quod vtrumque quocunque modo fugit & a ſeſe alieniſſimum eſſe cupit quiuis eruditus atque cordatus Medicus practicus. Si itaque ambo hi conſulti ſint imperiti, medicaſtri ac falſarii, vtrique relinquendi, & tertius ac verus Medicus inſuper audiendus: ſi vero vtrique æque ſint celebres in Praxi medica, & quid in arte ſua præſtent alias iam demonſtrauerint, tunc facile conceditur, quod conſultius ei committatur curatio, qui bonum euentum promiſerit; præſertim ſi hic adiungat cauſas, quibus poſſibilitatem oſtendat: Quod ſi vero ille, qui nulla vel inſufficientia eruditionis ſigna depoſuerit, optima quæuis promiſerit, præ alio qui eſt & habetur pro erudito, dubioſum vero exitum reddiderit, tunc ſuadendum non putamus, vt præ hoc iſte admittatur: ſi vero ſimili in caſu & circumſtantiis eruditus repertus bonum effectum diuinauerit, ei, nemine contradicente, erit totum tradendum opus.

VIII. Vlterius hac occaſione notamus, quod, licet, ſi Medicus aliquis peritiam ſufficientem eamque vel propriam vel alienam habeat, eodem, vel aliis quoque morbis vexatos ægros ſibi demandatos, vel ob ſubiecti culpam, eius virium nimiam depreſſionem, naturæque deprauationem, qua nolente & ſuccumbente, omnis ars fruſtra adhibetur, vel alias quoque circumſtantias varias, ſanos non reddiderit; talis, inquam, Medicus nihilominus tamen ſalua conſcientia & fiducia eligitur ad curationem, quia, ſi ſaltim lege artis fecerit omnia, munere ſuo eſt functus, quamuis non in omnibus ſubiectis ex dictis cauſis aſſecutus fuerit finem artis vltimum, intermedium tamen ſeu proximum obtinere

potuit:

potuit: ſiquidem omnes Ægrotos ſanos reddere in Medici potentia, ſtudio, arte atque officio non conſiſtat. Idem dictum eſto de Medicis, qui ſæpius ipſi laborant morbis, præſertim talibus, a quibus tam facile & ſecure tutum ſeſe quis reddere non valet, minime ergo æſtimandum illud, quod tamen multi in ore habent: Curet ſeſe primo talis Medicus ipſe, & tunc me ipſi quoque tradam: niſi quis forſan ea propter hoc faceret, quod nulla viſitatio ab tali expectari poſſit: alias quidem magis eſſet talis præ aliis eligendus ad curationem, quia ille, qui morbis laborauit iisdem, vel etiam aliis, melius & citius poteſt cognoſcere morbum, cauſas, ſymptomata, curam &c. quam qui nullos experti in ſeſe ſunt vnquam morbos.

IX. In recenſione mediorum nominandi nunc veniunt Chirurgi, ex quorum grege, quantum fieri poteſt, illi ſunt eligendi, quibus ſi non in omnibus, tamen in quam plurimis applicari poſſunt & reſpondent definitiones de iisdem factæ a celeberrimis Medicis, & Chirurgis exercitatiſſimis, v. g. van Horn in Μικροτέχνη pag. 324. & ſeq. it. Dionis Cours d'operations de Chirurgie Demonſtr. I. pag. 2. & 8. præcipue vero pag. 9. ſequentibus: La perſonne du Chirurgien doit être avantagée de trois ſortes de qualitez, dont les premieres ſont duës à une nature bien elevée, les ſeconds à une raiſon cultivée, & les troiſiemes a un grand uſage. Par la nature on comprend les dons du corps, les bonnes mœurs, & une diſpoſition naturelle, qui non fait préferer la Chirurgie à toutes les autres Profeſſions: par la raiſon, on veut, qu'il ait un eſprit docile & capable de poſſeder une ſcience d'une auſſi grande étendue; & par l'uſage, on pretend, qu'il ait beaucoup d'ex-

„ perience acquise par un long exercice. Il faut aussi, qu'un
„ Chirurgien soit ambidextre, c'est-à dire qu'il puisse tra-
„ vailler également des deux mains, y aiant des operations
„ qu'il faut necessairement faire de la main gauche. Mais
„ doit sur tout étre son propre iuge, & se rendre à soi mê-
„ me la justice, qu'il merite, c'est-à-dire, que quand il ne se
„ sent pas assez fort, ni assez exercé pour une operation dif-
„ ficile, il la doit laisser faire à un autre plùstôt, que de l'
„ entrependre temerairement. Eiusmodi Chirurgis (modo frequenter satis, præserim in Germania nostra, deprehenderentur) vnis vel pro re nata pluribus concredere omni fiducia curam suscipiendam & sine remora admittendam, potest Ægrotans: notando tamen insimul, quod in grauioribus casibus hi soli non admittendi, sed Medicus iisdem iungendus & præponendus sit.

X. Huc trahi non minus merentur sic dicti Operatores, qui in vnica, vel duabus, vel paucis operationibus chirurgicis exercitatissimi, atque hinc celebres sunt & speciales denominationes acquisiuere, vt Lithotomi, Ophthalmiatri siue Oculistæ, Herniotomi, vt & qui gibbosos, contractos & alios curant & tractant. Ex his celeberrimi viri habentur, præ aliis nationibus, in specie apud Gallos, Italos, & Batavos; licet Germania quoque nostra non omnino hisce sit destituta. Cum autem maximus eorum hominum numerus, qui sese tales profitentur, vel pro iis haberi volunt, sit & constituatur ex Falsariis, incautis, inexpertis, imprudentibus inexercitatis; hinc Ægroti non sine causa bene debent attendere, cum quo nam rem habeant, qualibusue sese tradant: imo nisi ægri de se satis certi sint, quod tales sibi possint eligere & cognoscere, quibus se concredere tuto possint,

ſint; conſuleremus, vt relinquant magis Medico vt talem proponat, qualis deſideratur, & cui fides habenda, tribuendaque.

XI. Tranſitu itaque facto ad Pharmacopœos, illi commendandi veniunt, qui iurati ſunt, ne quid pro quo exhibeant, noxiaque omnibus ac ſingulis diſpenſent: qui artem ſuam intelligunt ſufficienter, & ſigna medico-chimico-pharmaceutica vſitatiora; ne vt e. g. nuperius mihi contigit ☿tum præſcribenti, habeant pro ☿to, opusque hinc habeant errorem atque inſcitiam confitendi, & excuſationis loco vti iſto omnium ſtultorum: *Non putaram:* vlterius, qui officinam inſtructam habent medicamentis vſitatis ſimplicibus atque compoſitis, ratione quantitatis, copia ſufficiente, & qualitatis, quoad colorem, ætatem, conſiſtentiam, ne ſi e. g. præſcribatur Emplaſtrum diachylon ſimplex nec illud habeant, ac deſtituti eodem ſint, hincque vel aliud ſubſtituere, vel aliunde petere neceſſum habeant. Porro qui diligenter formulas præſcriptas a Medicis parent vel ipſi, vel talibus ſunt inſtructi famulis, quibus fides in hoc haberi poteſt; ne ex errore comiſſo in ponderibus ingredientium, imo his ipſis, noxa redeat in ægrotos irrevocabilis. Nec non qui Medicamina officinalia fideliter, & vt artis eſt præparere ſciunt & præparant quoque: ſic & qui non nimis avari ſunt. Vbi itaque plures in vno loco ſunt Pharmacopoei, electio Ægrotantibus, tanquam pharmaceuticarum rerum inexpertis, difficilis erit, relinquitur hæc itaque optime Medico, qui inſuper audiendus & attendendus, quam nam officinam meliorem præ cæteris deprehendat; vid. Schrœderi pharmacopœia medico-chimica.

XII. Ob-

XII. Obſtetrices nunc vocandæ ſunt quoque ſub examen: In auxilium vero ducendæ ſunt cautæ, peritæ, manſuetæ, piæ, prudentes reſpectiue. Cum autem hæ non ſolummodo curam gerant de parturientibus & nuper natis, ſed ſæpiſſime quoque in Inſpectionibus variis adminiſtrandis, tanquam abſolute neceſſariæ, vt quidem putant, aduocentur & adhibeantur, de eo merito admonendi ſunt omnes, ne plus fidant ipſis quam Medicis, multo minus ſolæ adducantur, præcipue in difficilioribus, incertioribus & rarioribus caſibus, idque præprimis in Germania noſtra, vbi vt plurimum ſatis rudes, imprudentes, imperitæ, audaces, ſuperſtitioſæ deprehenduntur, quod ſufficienter patet per quotidianam experientiam innumeris incommodis, mortibus imo ipſis exin redeuntibus confirmatam. Melius hinc eſſet, ſi in talibus caſibus vel omnino non admitterentur, omnisque res Medicis ſolis traderetur, vel ſaltim ad horum mandata & deſideria accerſerentur. Reliquum merito Obſtetrices ſeniores tanquam peritiores præferuntur iunioribus ac inexpertis, modo illæ non ſint decrepitæ. Quæ reſtant obſtetricis bonæ requiſita & Characteres, proponuntur in Libris de hac materia tractantibus: v. g. In der Berliniſchen Wehmutter, Henr. a Deuenter neues Hebammen-Liechts totum Caput I. de qualitatibus bonæ Obſtetricis agit & largam ſiſtit enumerationem: Mauriceau des Maladies de Femm. Groſſ. & alii, ex quibus, quæ huc trahi poſſent, nosque nimiæ prolixitatis tædii gratia omiſimus ſtudio, facile peti poſſunt.

XIII. Mediorum ad Curationes obeundas neceſſariorum claſſi inſerendi merito ſunt quoque οἱ παρέοντες, Adſtantes, ipſo Coo autore, 1. aph. I. Horum qualitates delineat

neat Celeb. Bohnius in Tr. de Offic. Med. part. I. cap. 6. pag. 133. & seq. Adstantes sint, inquit, *qui circa Ægrotantium medelas sæpius fuerint versati, cumque ipsis noctu diuque commorati, & quoad fieri potest, morbi motus, symptomata, diætam & quæ circa illos obuenientia obseruare & Medico accedenti enarrare norint,* si præsertim, ex quacunque demum sit causa, ipse Aeger hoc minus possit: Absolutissimam & optimam de Adstantibus descriptionem, dignam, quæ hic repetatur, habet Dionis Cours d'Operations de Chirurgie-Demonstr. 1. pag. 10. Les assistans doivent avoir trois vertus principales, qui sont la Sagesse, la Fidelité & la Discretion: s'ils n'étoient pas sages & prudens, ils inspireroient souvent au malade des choses qui prejudireroient à sa santé & condescendant à ses desirs, il lui accorderoient tout ce qu'il demanderoit; ils fuiront néanmoins toutes les manieres rudes & brusques, & seront complaisans en tout ce qui ne le pourra pas blesser. Si l'on ne leur supposoit pas de la fidelité, l'on ne pourroit compter sur tout ce qu'on leur ordonneroit, & au lieu d'avancer la guerison, ils la retarderoient ou l'empêcheroient en changeant ou n'executant pas les choses reglées & commandées: enfin, s'ils n'étoient point discrets, ils iroient inconsiderement raporter au malade tout ce qu'ils auroient entendu dire de sa maladie; car un raport imprudent peut mettre un malade dans un peril éminent de sa vie, comme il est arrivé plusieurs fois: cette même vertu les engage à tenir le secret sur certaines imperfections, qu'ils découvrent ou qu'on leur declare. Felix itaque erit Aegrotans, qui huiusmodi Adstantes habere possit, cum rarissima auis in regionibus nostris sint; maxime hinc est credibile requisi-

ta Adſtantium citius delineari, recenſeri & requiri poſſe, quam quidem obtineri, & experiri quisquam. Apage interim omnes tales, qui paulo ante ægris contagioſo morbo affectis officium præſtitere: nec non tales, qui apud operationes grauiores e. g. chirurgicas, gemitibus, lachrymis & aliis affectibus Aegrotum adhuc triſtiorem, vel omnino inanimem reddunt, vel Operatorem quoque ſiue Chirurgum ſæpe eo deducunt, vt intermittat id, quod tamen maxime fuerit neceſſum æque ac vtile, vel alio quocunque modo Patientem affligunt & operationi remoram ponunt. Numerum Adſtantium neceſſariorum vel Medicus, vel etiam Curatio & Operatio, ſic & non minus Morbus, Symptomata, ipſaque Neceſſitas, quauis occaſione determinabunt debitum, inprimis in inſanientibus.

XIV. Poſt tractationem perſonarum merito quæſtio easdem reſpiciens ſubiicitur atque ventilatur ſequens: quod ſi Aegrotans ſit e. g. Medicus, vel Chirurgus vel operator, vel etiam alius, qui ſciat ipſe præſcribere puluerem ſudoriferum, ſtomachicum, purgantem, Elixir proprietatis, num Medentis vices ipſemet ſubire debeat ac poſſit? nec ne? Reſponſionis loco ſint hæc: Licet Medicus ægrotans ipſe ſibi ſciat præſcribere Medicamenta, tamen neſcit idem quamdiu hoc poſſit; præſertim in morbis, qui mentis turbationes & abalienationes aliaque poſt ſe trahere poſſunt, quæ impedimentum ponunt, quo minus ſibi ipſe talis medentis munus præſtare valeat: ſique tum demum alius accerſeretur Medicus, qui neſciat antea iam adhibita Medicamenta aliasque ſcitu neceſſarias circumſtantias, facillime error committi poſſet, qui ſummum inferat periculum, modo non ipſam mortem. Hinc optime ſibi talis conſuluerit,

rit, si cum alio colloquium insuper instituerit, sibique ordinari vel iusserit hoc aliudue Medicamentum in præsenti statu, vel etiam futuro; si talis vel alius subsecutus fuerit; vel omnem illi reliquerit curam. Dicta autem hæc non extendenda sunt, ad Chirurgos, Operatores, Pharmacopœos, morbis præprimis internis laborantes, imo in genere reliquos medicarum rerum ignaros omnes, ita vt quoque Medico eodem modo iniungere vellent, quale Medicamentum sibi exhiberi velint: quia hoc modo ex Medico famulum sibi facerent, hincque non parum aufferrent de Medici dignitate, dum purum Pharmacopœum ex eodem redderent: Sed hi eo magis necessum habent sese totos Medico tradere.

XV. Cum supra §. IV. sub finem dictum fuerit, quod media adhuc laudata sint adhibenda *legitime*, præsenti loco idem pluribus adhuc demonstrandum venit: Legitime autem administranda sunt ratione temporis, vt scilicet mature, quantum fieri potest, Medicum accersiri curent Aegroti, prius, quam malum profundius egerit radices, vt hinc postea vel difficillime, vel omnino non extirpari atque euelli queat: non minus quoque habenda est ratio officiorum, quæ singulis hisce mediis competunt diuersa; ne e. g. ad internorum morborum curationem trahantur Chirurgi, Operatores, Obstetrices vel quicunque promiscue, neque etiam ad externorum morborum curas præsertim rariores, periculosiores & grauiores, quia hæ personæ vt plurimum debita scientia anatomica, iudicio practico atque experientia destitutæ, in Germania præsertim nostra, deprehenduntur; quomodo itaque causas, signa, ideas & symptomata morborum horumque medelam adæquatam perscrutari &

inuenire poſſunt? *Ignoti nulla cupido!* E contrario vero conſultius relinquitur e. g. Sectio calculi, depoſitio cataractæ, Operatoribus, Lithotomis & Ophthalmiatris, tanquam in his exercitatis, quam ipſis Medicis, qui vt plurimum minus adeo experti ſunt in iisdem. Interim, cum ſupra iam oſtenſum, quod Medicus quoque vrgente neceſſitate & abſentibus & deficientibus Chirurgis, Operatoribus, Obſtetricibus horum vices ſubire poſſit & debeat ipſe; non erit neceſſum vlterius hanc rem inculcandi: paucis tamen demonſtrandi, quod, cum extraordinaria non faciant regulam, necesſitatis vero lex nulla, cæteris paribus, minime concludere liceat; quod hinc vbique & ſemper horum vices in ſe ſuſcipere debeant Medici, & quod propterea Operatores, Chirurgi, Obſtetrices non ſint adeo neceſſarii: ne quid dicam de pesſima iſta ſequela à minori ad maius facta, quod, ſi Medici Pharmacopœi, Chirurgi, Obſtetricis, Operatoris, munia obire posſint, ergo hi quoque illorum. Medici itaque in omnibus tam internis quam externis ſubortis morbis, præſertim grauioribus, eorum curationibus & operationibus adducendi ſunt, non autem ſemper ea propter, vt ipſimet manus vbique adhibeant; ſed vt ſæpiſſime tanquam Directores tantum adſint, & ſaltim imperent quid ſit faciendum: Chirurgi vero, Obſtetrices, Operatores tanquam miniſtri ac ſerui eorum mandata exacte exequantur, ob cauſas paulo ante inſinuatas. Reliquum Media adhuc laudata, quot, quomodo, vbi, cur, quando adminiſtranda ſint, partim iam eſt dictum in peculiari ſingulorum pertractatione, partim id determinabitur varie ac diuerſe ab ipſis circumſtantiis variis & accidentibus diuerſis.

XVI. Sub

XVI. Sub finem tractationis mediorum, licebit sub examen vocare paucis verba quædam, quæ extant in Præfat: Libri, cui titulus, Machiauellus Medicus, qui nuper denuo Argentorati prodiit; pugnant enim eadem contra totam hanc sectionem & media in illa recensita, quali ex fundamento? mox apparebit; *Nostra*, ita sonant verba, *opera ægri mortales optime carere possunt, si bonæ diætæ in profligandis morbis studiosi Deum æternum precibus obtestarentur: Deus enim & natura omnia, siue omnem rem, conficiunt.* Ast quæ? qualis? quanta? Licet exempla prostent rariora, vbi Deus quosdam immediate sanitate pristinâ donauit, & restituit a morbis, sed sequitur ne exinde, Ergò omnibus hoc præstabit ita patientibus? Vix credo, es kan vvohl seyn! Nam alias Medici & Medicamenta non una, in gratiam ægrotantium in S. Litteris semel iterumque laudata, deque iis sermo institutus, atque curationes & operationes iisdem tanquam mediis perfectæ & exhibitæ fuissent, nisi necessaria quoque essent: vid. Ecclesiast. cap. 38. totum, diuersaque alia loca Noui Testamenti æque ac Veteris, quæ exhibent ægrotos a Christo ipso & Apostolis suis, nec non a Prophetis restitutos non æque sine mediis: Sed neq; Natura agit immediate & per saltus, sed per media & gradus. Bonam diætam quod attinet, non deprehenditur illa tantæ virtutis, quanti quidem desideratur sæpissime a vehementia morborum atque symptomatum, id quod experientia & sana ratio dictitat, si saltim vnici affectus soporosi & hæmorrhagiæ in medium adferantur & examinentur: In abarcendis licet & non admittendis morbis accedentibus forsan plus præstare bonam diætam, quam in iis iam præsentibus profligandis. At *Medium tenuere Beati*, ÆGROTAN-

TES OPTIMI, merito hinc detrectabitis utrumque extremum, & Consilium adducti Auctoris Machiauellistici, & exemplum Asæ Iudæorum Regis, de quo infra Sect. 2. §. 10. mentio fiet, tanquam pio & iusto utraque contrariantia: Beatos vero laudatos secuturi Deum Omnipotentissimum imploretis, vt secundum misericordiam suam media apta largiatur, quibus vos sanos reddat! Id quod Theologi fusius vos docebunt.

XVII. Vnicum adhuc restat, quod Coronidis loco huic sectioni tandem jungendum, quod, per totum morbi tractum sibi habeant commendatissimum: PATIENTIA, de qua notissimum illud: *Patientia vincit omnia.* Et hoc prouerbium non immerito dicitur, propriam inuenire significationem in morbis afflictis; optimum enim illud (sanitatem puta) præ reliquis omnibus, quibus in hac terrena vita frui licet, vt periclitetur ipsi debent pati; hinc in morbis sufferendis adæquate magis, quam in reliquis omnibus noxis & iacturis, quæ accidere possunt istis singulis, quæ possidet in hisce terris vita nostra, locum obtinet laudatum & probatissimum istud *Patientia vincit omnia.* Diuersimode autem diuersis in casibus a diuersis commendatur: aliter scilicet in magno, aliter in minori morbo, aliter a Theologo, aliter a Medico; abstrahendo a vicibus & officiis illius, huc vocanda sunt huius. Præcipua autem Patientia, quam Medicus per omnem morbi durationem desiderare potest ab Ægroto est, vbi celebranda est Operatio chirurgica & dolorosa: nam si nimis desperatum & impatientem sese præbeat Ægrotans, Medicus & Chirurgus cogeretur illud intermittere, quod tamen maxime vel sui remotionem, vel conseruationem, vel restitutionem indicauerat;

fierat; taliquе modo cauſa moralis & principalis poteſt ipſe Ægrotus fieri futuræ vitæ calamitoſæ & miſeræ, vel omnino mortis, ibique magis quam Medicus vel Chirurgus accuſandus eſt. Ita Patientiæ effectus certe non eſt, ſi ægri quotidie de mutatione medicamentorum, cibi, potus, ſitus, cubiculi aliorumque quærunt: ſic ſingulis ſæpe momentis deſiderant, vt Medicus ponat & præfigat terminum reconualeſcentiæ vel exitus morbi, id quod certe fit ſine omni ratione & fundamento; præſertim cum requiratur, vt hoc in omnibus morbis, ſingulisque ægrotis præſtent. Licet enim in quibusdam mutationes, imo præter propter ipſum morbi finem interdum prædicere posſint, exin autem minimè ſequitur, quod hoc ubique & ſemper posſint ac debeant præſtare: ſolius ſiquidem Omniſcii atque Omnipotentisſimi eſt, futura præuidere & præſcire: minusque hinc vitio vertendum Medicis, quod, ſi nimis vexati, nolentes volentes, quid pro quo dixerint, euentus quoque prædictioni minus reſponderit, præcipue cum ipſi ægri non raro euentum prædictum irritum reddant per errores in diæta, Medicamentis aſſumendis, agendis commiſſos. Sufficiat itaque ſi Medicus demonſtrauerit, ſe adhibere omnem debitam diligentiam & fidelitatem ad ſanitatem, tanquam vltimum & deſideratum laborum ſuorum finem, quantum quidem fieri poteſt, mox obtinendam & reuocandam. Et hæc ſufficiant de Officio Ægrotantium erga ſeſe ipſos dixiſſe.

SECTIO

SECTIO II.

DE OFFICIO ÆGROTANTIVM ERGA MEDICOS.

§. I.

HÆc Sectio abſoluitur, & hinc Officio Medicis præſtando ab Ægrotis, ſatisfit, ſi ægrotantes Medicos electos de ſtatu ſuo fideliter reddiderint certiores, inque hos confidentiam ſufficientem licitam poſuerint omnem: & illos præſentes, vel etiam abſentes, & tamen fieri commode poſſit, vt decumbentes inuitauerint humaniter, atque per totam curationis durationem, & tempus quoque reliquum non importune tractauerint, ſed debita manſuetudine exceperint: porro omnia dicta & mandata Archiatrorum ſuorum diligenter attenderint, ſeruauerint, & executi fuerint: Curatione vero finita, præcipue vero feliciter illa peracta, non ingrati cuculi abiuerint, ſed pro merito & labore adhibito donis & remunerationibus affecerint Medicos; nec non occaſione data de iisdem non, niſi bene iudicauerint, imo præſentibus aliis laude debita commendauerint eosdem: Tandem ſi in omnibus adhuc recenſitis adhibuerint Conſtantiam. Hæc, inquam, cum officium Medicis tribuendum ab ægrotis fere abſoluant, finem propoſitum nos obtinuiſſe credemus, ſi iam propoſito ordine expoſuerimus ſingula fuſius in ſubſequentibus periodis.

II. Quam neceſſum ſit, vt, ſi quis morbo laboret, vel alia quoque in re Medici auxilium deſideret, notum id

ipſis

ipſis faciat, omnes facile capiunt, qui ſciunt, quod ignoti nulla cupido, & quod Medici auxilium alias nunquam expectari ac obtineri poſſit: hoc autem fieri triplici modo: vel ſi Medicos ipſi accedunt, horum opera carentes, vel per litteras, vel denique per alios, poteſt. Quidquid autem ex hiſce commodius videatur, vbique e re erit, neque præmiſſis longioribus verborum ambagibus, deprædicationibus, inſinuationibus, commendationibus, ipſam demum rem enumerare: neque etiam in altero extremo peccare, planeque nullam reuerentiam adhibere, neque relationem ipſam nimiis ac ſuperfluis extrauagationibus dilatare, multo minus adhibitis inuſitatis terminis obſcuriorem reddere, neque etiam in huius contrario ſe culpandum facere, vixque vnum alterumue ſymptoma ſufficienter allegare, reliquis omnino neglectis. Tales enim relationes Medicis merito erunt nauſeoſæ, incommodiores, haud acceptæ, ſed ſuſpectæ magis, infideles, minus accuratæ, ſibique ipſis haud ſatis conſtantes iudicabuntur facile. Obſeruandum hinc erit, vt pauciſſimis beneuolentia oſtenſa & reuerentia exhibita, ſtatim delineatio omnium ſuccincta, breuis, perſpicua, fidelis, accurata, ſufficiens & conſtans Medico ſiſtatur, quibus ipſis officio ſuo ægrotans circa hoc punctum exacte ſatisfecerit.

III. At citius ſæpiusque proh dolor! deſideratur eiusmodi relatio, rarisſime vero obtinetur: quæritur, cur? tunc reſpondemus (1) ob minimam vel plane erroneam cognitionem, quam habent plurimi homines de ſe & ſuis corporibus: & quidem non loquimur de rudiori ſaltem vulgo, ſed & Eruditis quoque & qui ſeſe aliquid ſapere putant, quibus occaſio vel ſemel iterumque anatomicis demonſtrationibus publicis, id quod commode fieri poſſet, ſi

in Academiis Studiorum causa commorantur, vbi sæpissime instituuntur tales publicæ sectiones & demonstrationes humanorum cadauerum, quibus interesse possunt præter Medicinæ addictos, etiam alii, qui harum desiderio flagrant, imo in consuetis locis, publicis ad easdem inuitantur: vel si quoque hoc non liceat, saltim priuatim ex Collegiis Anthropologicis, Anatomicis, & Sectionibus brutorum idem addiscere possent. Ex qua singularitate autem hoc non faciunt? latet omnino! Sed sufficit, quod ab aliis Illustribus Viris & Excellentissimis Medicis, nec non in præsenti his ipsis, tam ad relationem legitimam ab Ægrotis ferendam, quam ad cognitionem, a Medicis ex illa eruendam, imo curationem ipsam huic superstructam, vt innumera alia taceamus, maxime necessaria & vtilia reperta atque commendata: qui capit, capiat: qui non vult, habeat sibi!

IV. Et (2) ob quorundam stupiditatem: Sed huic ne facillime medetur, si quidam alius ex amicorum, siue domesticorum numero, in referendo vices gerat? Neminem hoc negaturum spero, quia iidem in aliis rebus & actionibus plurimis, quæ ob allegatam incapacitatem expectari a talibus non possunt, supplent; nil ideo impedit, quominus in rebus ad sanitatem conferentibus etiam in se suscipiant iidem, imo dicerem, quod hoc magis necessum sit in dictis rebus, quam quibusuis aliis, ob causas alibi iam allegatas: porro (3) ob Memoriæ debilitatem vel omnino defectum; sed & huic duplici modo succurri posset facile, vel eodem, quo stupiditati, modo; vel si annotentur scriptis, quæ singulis temporibus acciderint circa sanitatem & ad hanc spectantia: possibilitatem, dignitatem atque necessitatem huius nemo fere in dubium vocabit. (4) Ob Pigri-

gritiam nonnullorum in referendo commiſſam accuſandam: hoc autem vitium cum in omnibus cane & angue peius fugiendum, ita magis adhuc abeſſe requiritur in iis caſibus, vbi de ſanitate & vita propria agendum: qui interim ipſemet hocce in ſe non vult corrigere, habeat ſibi & ſuæ conſcientiæ, rebus, voto, curæque non reſpondentibus, ſed ſiniſtre magis cedentibus: (5) Ob immaturam & nimiam multorum Pudicitiam, quam ſi modo in aliis caſibus debite adhiberent, apud has ſimilesue circumſtantias vero moderate exercerent, quod de ſequiore ſexu præcipue valet, imprimis ſi Medicus minus ſit coniugatus, quaſi vero, qui talis ſit maius priuilegium præ illo obtineret in hac, aliisue rebus: Denique (6) ob metum pœnæ & ignominiæ, de quo in ſequenti §. ſe offerunt plura dicenda. Verbo, non vnam ob rationem, ægrotus, exponere dubitat ſæpe, *quid patiatur*, primo loco ab Hippocrate quæſitum.

V. Poſſet autem quis hoc loco ſequentem exceptionem proferre: Cum morbi multi pœnam publicam, famæ detrimentum & alia poſt ſe trahant, conſultius longe fore magis tacere, quam aperire tales Medicis vel Chirurgis. At tranſeat antecedens, negatur vero conſequentia, quia ex duobus malis minus eſt ſemper eligendum; citius enim pœna, atque alia ſufferenda ſunt, quam omnino perire vel toti rei publicæ nocere velle. Porro venit negandum ſuppoſitum; quia Medici hac in re, ſaltim poſſibile & licitum ſit ratione conſcientiæ ipſorum, æque ac Confeſſionarii conſiderandi ſunt, ab utrisque enim requiritur ſilentium. Et qui Medicus arcana reuelat, fidem amittit, quod quidem non patiatur de ſe dici, namque eo ipſo inſimul facit contra Iusiurandum Hippocratis, vbi ſequentia inter alia continen-

 tur:

tur: c.3.t.1.seq. Ἃ δ᾽ ἂν ἐν θεραπείῃ ἢ ἴδω, ἢ ἀκούσω, ἢ καὶ ἄνευ θεραπείης, κατὰ βίον ἀνθρώπων, ἃ μὴ χρή ποτε ἐκλαλέεσθαι ἔξω, σιγήσομαι ἄῤῥητα ἡγεύμενος εἶναι τὰ τοιαῦτα. *Quæ inter curandum visu aut auditu notauero, vel extra medendi arenam in communi hominum vitâ percepero, quæ non decet enunciare, silentio inuoluam & tanquam arcana illa æstimabo.* In laudatum enim Hippocr. Iusiurandum adhuc hodie Medicinæ Candidati & Gradum appetentes iurare tenentur.

VI. Hic non inutiliter additur, quod si quis indiuidualia, hæreditaria & alia specialia in sese sciat & obseruauerit Ægrotans, præ reliquis Medico vel sciscitanti, vel sponte quoque aperiat; nam his non relatis multi errores in curatione committi possunt, interdum admodum noxii; modo non omnino lethales, qui eo ipso fuissent præcauti, si illa patefecissent. Vrinas quod attinet, illæ nunquam omnino sunt negligendæ, notandum vero de iisdem insimul, quod nunquam solæ, sed cum relatione offerendæ; sine ratione enim prætenditur ab Medicis, vt e. g. ætatem, sexum, constitutionem totius & singularum partium, habitationis locum, tempus durationis morbi, grauiditatem, virginitatem & nihil non determinent ac diuinent ex ipsis, quia a sat multis eruditissimisque viris satis superque incertitudo signorum ex vrina prodeuntium demonstrata est. Magis adhuc culpandi sunt, qui non modo non veram adferunt vrinam, sed adulteratam seu equinam, seu suillam, pro humana, vel sani hominis pro ægrotantis: præstat enim ægros a Medico, quam Medicum ab ægris falli.

VII. Quod si vero Medicus non sit præsens, qui ad Curationem eligitur, siue consulitur, bonum esset, si idem

fieri

fieri semper posset, ita vt vult Thom. Mermannus von Schœnberg in Consult. & Respons. Med. Lib. IV. Consult. 4. pag. m. 244. *Quodsi*, inquit, *consilium meum expetatur, necessarium erit, vt affectus ab vno aut pluribus Medicis cum omnibus circumstantiis rite describatur, mihique, vt moris est, descriptus transmittatur. Nempe vnde & ex quo morbus iste originem traxerit? an hypochondria mollia, tensa vel dura? an calor præternaturalis adsit? quomodo vrina & alui excrementa se habeant? vires vt constent? pulsus, an magnus vel paruus, celer vel tardus, durus vel mollis, sentiatur? qui dormiat? an lingua & fauces humidæ vel siccæ? an tussis adsit? an compressiones pectoris infestent? an faciei suus color constet? illa an pallida, vel subflaua, vel rosea &c.* Sed cum Medicus sæpissime nec habeatur, nec si quoque habeatur, alteri alter tam facile exhibeat eiusmodi relationem; sufficiet sæpe si alius quis sæpius cum ægrotis versatus illam relationem pro eorum norma, quæ superius in illis attendenda præcipiebantur, exstruat.

VIII. Verum quoties sine responsione, & Medicamentis remittuntur ac reiiciuntur hæ vel illæ insufficientes relationes, in praxi medica occurrentes, melioresque desiderantur? Loquatur ille, qui vel nuper saltim Practicum agere cœpit: quoties nimirum accusatur cor, pulmones, cum tamen vel pleura, vel diaphragma, vel aliud thoracis viscus, modo non interdum ipsum abdomen locus vel focus affectus sit, & contra. Sic hepate, liene, renibus male affectis, sæpe suspectus est ventriculus, intestina, mesenterium, & contra: atque sic de aliis quoque innumeris, quæ possent adduci, nisi hæc ipsa sufficerent. Cum autem tam grandes errores quotidie in hoc committantur, hinc non

mirum quoque, si euentus rarissime spei ac voto Ægrotantium æque ac Medicorum responderit: modo non tam multi, hisce sic stantibus rebus, trucidarentur a Medicis, respectu ipsorum quidem innoxie, innocenter, saluaque eorundem manente conscientia. Quales vero fructus Ægroti deportent inde, ac colligant, effectus sinistri testantur, scilicet vitæ miseræ ac valetudinariæ, imo ipsæ mortes satis frequentes. Optimum fuerit, vt relationes de status mutatione Ægrotantium tot dentur, quot vel vehementia morbi & symptomatum, vel ipsi Medici requirant ac postulent: eæque omnes ad normam paulo ante breuibus delineatam sint conditæ. Vtilissimum vero semper ab omnibus Practicis repertum est, ex ipso ægro accipere descriptionem status in quo est, atque expiscari reliqua, & hoc quidem in complexis & difficilioribus casibus absolute necessarium est, vt si Medicus non ipsemet Ægroto præsto subinde adstans, singula morbi symptomata sedulo inspexerit, atque ex ipsius interrogatione omnem morbi ortum ac progressum penitius cognouerit, frustra omnino laborare sæpe videatur idem. Vid. Ammanni Medicina Decisoria vel Critica Cas. XI. p. m. 128. Et ex his sufficienter insimul apparet necessitas Visitationum, de quibus paulo post plura erunt dicenda.

IX. In Medicos sibi electos bona conscientia omnem confidentiam licitam ponere possunt, imo debent Aegroti, (Medici autem sub nomine hic & alias sæpius comprehenditur non modo Medicus stricte sic dictus, sed reliqui omnes medentes; vel interdum eorum saltim aliqui, puta Chirurgi, Pharmacopœi, Operatores, Obstetrices. Facile itaque subintelliguntur, vbi necessum fuerit, si alibi quoque so-

lius

lius ſaltim Medici nomen poſitum fuerit, neglectis reliquorum iſtorum) Confidentia autem requiritur non fruſtra, quatenus non tantum Galeno, iamdudum obſeruante in VI. Epid. 4. *Ægrotantes, iis Medicis, quos libenter adſpiciunt, magis obtemperant;* ſed etiam teſtante Celeb. Bohnio in Tr. de Offic. Medic. part. I. cap. 6. p. 46. *Confidentia hunc parit fructum, quod amor, lætitia, & ſpes in ea coincidentes, Spiritus languentes excitent, ſanguinem commoueant, vt ſic vires medicamenta citius & validius exercere & intimius penetrare queant, hinc coctionem cruditatum morbificarum iuuent, & robur naturæ in depellendis affectibus præternaturalibus ad ſenſum fere augeant & firment: cum contrarium ex diffidentia, cuius indiuidui comites triſtitia, metus atque odium ſunt, timendum videatur.* Plura æque huc quadrantia vid. ibidem, nec non Dionis Cours d'Operat. de Chirurg. Demonſtr. I. p. 9. Hincque mirum non eſt Galenum l. c. dixiſſe: *Fidem ac ſpem erga Medicum ſæpe plus efficere, quam ipſam cum Medico medicinam;* hoc enim, præter rationem ex Bohnio allatam, ipſa experientia frequentiſſime confirmat in quam plurimis etiamſi grauisſimis ſæpe morbis.

X. Si cuidam hac ex re dubium oriatur, vtrum Medicis, an vero Chirurgis, an Pharmacopœis, an Operatoribus, an Obſtetricibus & ſic porro, plus fidei tribuere debeant ac poſſint? ſi diſcrepent inter ſeſe omnes, vel Medici ſaltim: ille ſciat, quod in priori caſu omnino Medicis maior habenda ſit fides præ iſtis perſonis nominatis; ſiquidem illi horum omnium artes exacte calleant, ergo plus quoque fidei, iis tribuendum, quam hiſce, cum propriam ſuam ſinguli artem non tam bene ac fundamentaliter intelligant, ac

quidem

quidem Medici, reliqua vero, quæ Medici callent, omnino ignorant: quapropter etiam a Medicis ſemper data occaſione vel neceſſitate hi examinantur, nunquam vero ab his Medici: altero in caſu vbi Medici ſoli in diuerſas ſententias & partes abeunt, quid faciendum, ſatis patebit ex Sect. I. §. 7. Tacemus primas partes non medicis, ſed diuino numini deberi & maxime peccare ægros, qui id negligunt, exemplo Aſæ Iudæorum Regis l. 2. *Chronic. cap. 16. v. 12.* Medicorum auxiliis plus quam diuinæ benedictioni confiſi, ob id merito puniti & mortui.

XI. Commendandæ nunc veniunt Viſitationes, ad quas Medici inuitandi ſunt ab ægrotis, idque vel immediate, vel mediate magis, vbi iterum non minus ſtudendum, vrbane, expedite, breuiterque idem expediendi. Maxime falluntur in hoc, qui putant, fore, vt ſponte, & haud inuitati veniant Medici; ſiquidem nec hoc illos decet, nec temere & promiſcue repetere idem conuenit. Audiatur hanc in rem *D. Præſes* noſter in politia medica: *Viſitationes ſuperfluæ minus Medico ſunt honeſtæ, atque gratioſæ, & ſæpe malum omen præbent Medico: Voluntas enim hominum eſt ambulatoria; præſtat hinc, non niſi requiſitos & deſideratos comparere: Faſtus, Arrogantia, Inuidia, Auaritia, aliaque huius farinæ ex obtruſione tali facile arguuntur.* Eundem in finem bene annotauit *Heerius in Obſeruat. Medici quidem eſſe debent prompti in accedendo, non tamen effuſi, oblata enim vileſcunt, etiam apud pauperes.* Hinc vero e contrario non minus peccant illi, qui quotidie bis, ter, quaterue Medici acceſſum deſiderant, licet neceſſitate non vrgente: ſiquidem, ſi Medicus bonus ſit Practicus, eius conſilium & opera a plurimis, ſi non ab omnibus decumbentibus

exiga-

exigatur & deſideretur, qui deinceps ſinguli ea omnia, quæ ad curationem neceſſaria ſunt, ab ipſo requirant. Si autem tanta remora & tot impedimenta ponantur, quomodo deſiderio reliquorum & officio ſuo poterit ſatisfacere? nullo modo! Hinc tot requirantur viſitationes, quot vtiles deprehenderit Medicus, vel quot neceſſarias poſtulet gradus & vehementia morbi, pro renata, ſymptomatum atque paroxyſmorum.

XII. Nec ipſi pauperes habent, quod excipiant: Se tantos ſumptus, ac quidem huc requirantur, impendere non poſſe, hincque vix auſuros, vel vnquam a Medicis, ſe ægrotos viſitandos petere: Illi enim ſolummodo licitos ſumptus impendere debent, qui poſſunt & habent: idem vero minime valet de iis, qui nil habent, hincque non poſſunt: Wo nichts iſt, da hat der Käyſer ſein Recht verlohren. Nec facile eſt creditu, Medicos his ea propter denegaturos ſuam præſentiam deſideratam abſolute, niſi aliud quid obſtet, e. g. quod tantus ſit numerus eorum Ægrotantium, ex quibus maior vtilitas fluit in vniuerſam rem publicam, quam quidem ex vilioris conditionis homine: & ne illos quidem, neceſſitate licet id exigente, poſſint inuiſere, ſic quoque ſi ſpeciali modo obligatos ſeſe ipſos vel fecerint, certis, vel ab his redditi fuerint tales, quod enim tunc his citius debeantur præ illis operam ſuam, extra omne dubium & controuerſiam eſt, ob inſinuatas has vel ſimiles cauſas accedentes. Alias quidem, niſi remoræ obſtent, & Medicus tamen non adire vellet ægrotos, pauperes licet, ille certe non ageret, quod ipſi tanquam Chriſtiano competeret, nec memor eſſet eorum quæ monet D. Præſes l. c. *Viſitationes ægris, præſertim pauperis, adnumerandæ adeo rigoroſe non ſunt: ne-*

que etiam sit superbus Medicus, vnde & pauperes visitet. Quod enim hi fostri loco donare non possunt, id restituet diuina Benedictio, quam non frustra in hisce expectabunt.

XIII. Si forsan quis excipere velit ad paulo ante dicta: Quod si Medici ipsi inuitati sese sistere non vbique possint, tunc possint ac debeant sibi iungere tales e. g. Candidatos Medicinæ, vel saltim rerum medicarum non omnino imperitos, qui ipsorum vices hac in parte suppleant. O, vtinam omnes homines sic loquerentur, & Practici Medici, etiam rogati a Medicinæ addictis, in hoc non tam difficiles deprehenderentur: & postea magno cum fructu Aegroti experiri possent hæc aliaque innumera vtilia inde euenientia. Si enim tali modo inchoarent Candidati suam praxin, vt per tempus aliquod Medicis in praxi diutius iam versatis adstitissent, & iisdem Directoribus hanc aliquandiu exercuissent; alienam experientiam suam facere & in propriam vtilitatem vertere possent. Siquidem talis institutio vel annum vnicum saltim durans plus prosit, quam si totam Praxin clinicam aliquoties fusissime per longum temporis spatium explicare quis audiuerit: e Cathedra enim facilius & citius curantur ægri, quam quidem in Nosocomiis. Et eo ipso tunc de iis Praxin iam solis adeuntibus dici non posset: Nouos Doctores experientiam acquirere debere per multorum mortes, donec ad curandum apti fiant: Vel daß ein iedvveder neuer Doctor Medicinæ müsse einen neuen Gottes-Acker haben. Licet hæc ipsa prouerbia non vbique inueniant locum in omnibus, quamuis exercitium manuale, atque institutio ad praxin clinicam non præcesserit.

XIV. Quonam tempore autem inuitandi sint Medici, vt coram decumbentium lectos compareant, determina-

minabunt vel ipſi Archiatri, vel quoque morbi, ſymptomatum, paroxyſmorum idea, ſtatus, nimiaque vehementia ægros excrucians. Sunt hoc loco monendi ægri, vel ii magis, mediantibus quibus Medici inuitantur: quod ſi noctu deſideretur Medicus, tamdiu ibidem expectandum, donec ſecum ducere illum poſſint, idque niſi vrbanitas ſuadeat, ſaltim ne periculum fraudis & fallaciæ capiant Medici, hincque omnino non veniant, optime id ſuadentibus expertis. Exemplum talis fraudis impiæ dat Medicus aulicus pluuioſa tempeſtate noctu excitatus, fraudulenter atque doloſe vocatus ad B. M. Viduam Ducalem iſtius loci, graui morbo derepente ingruente decumbentem: Medicus laudatus ſelectiſſima Medicamenta arripiens, aulamque petens in via a ſibi incognito (forſan eodem a quo excitabatur) verbis non ſolum, ſed & verberibus male tractatur, vitra & vaſa Medicamentis repleta ſecum portantia diffranguntur: ita dimiſſus aulam intrans experitur, quam fraudulenter & impie fuerit deceptus.

XV. Vtilitas autem ex Viſitationibus legitime inſtitutis, tam ex parte Ægrorum, quam etiam Medicorum, non parua oritur: nam optime ſic omnia vel ex ipſis ægrotis, vel adſtantibus & reliquis præſentibus inquiri & examinari poſſunt, quæ ad cognitionem completam conferre quid valeant, qua impetrata, Medicamenta morbo exacte oppoſita & ſatisfacientia inuenire facile erit, ſecundum illud vulgatum: *Qui bene cognoſcit, bene curat.* Non fruſtra additum eſt ſupra, quod ex legitime inſtitutis Medicorum viſitationibus vtilitas ſperanda ſit, ad diſtinctionem minus fructuoſarum & non taliter inſtitutarum, quarum egregium exemplum offerunt illæ, quæ in miſſionibus ſanguinis huncque

inſpiciendi gratia requiruntur a plurimis, ſi non omnibus ægrotis in quibusdam præſertim regionibus: licet, nec a Medicis quoque adhuc hodie non ſine cauſis declinentur talia. Nam omnia, quæ ibidem obſeruantur, fallacia fere ſunt, nilque certi inferunt, tam ratione impetus egreſſus, quam caloris, conſiſtentiæ, coloris, temporis &c. de quibus omnibus accuratisſime atque doctisſime iudicat & agit Excell. Bohnius l. c. p. 155. vſque ad 161. vbi tandem Helmontii verba legere commendat ſequentia: *Obriſi tabulam iudiciorum ex adſpectu emiſſi cruoris, adeoque confirmaui mecum, a Medicis cruorem ſeruari juſſum, vt ſaltim hac ratione viſitationem vnam vel alteram ægris adnumerent.* Sed mundus adhuc hodie in hiſce quoque vult decipi! & decipitur.

XVI. Qui Ægrotantes de officiis Medicis a ſeſe exhibendis detrahere & excludere velint Vrbanitatem, qua Archiatros ſuos nunquam non excipere debeant; non leuem ſibi inurerent maculam, imo ſuſpicionem relinquerent indubitatam, neque in Moralibus neque politicis quidquam ſe præſtare & verſatos eſſe. Obligatio autem hæc eo maior euadit, quum in genere omnibus hominibus manſuetum ſeſe præbere a quouis requiratur; cur non eodem modo, imo maior manſuetudo deberetur iſtis, a quibus beneficia acceperit? qualia, imo longe ſuperantia omnia reliqua, quæ corporibus noſtris contingere poſſunt in vita hac noſtra, certe a Medicis vberrime exhibentur. Inter omnia enim illa bona, quæ poſſidet vita noſtra in his terris, longe excellentiſſimum & exoptatiſſimum merito laudatur *Sanitas*, in qua conſeruanda, & ab iniuriis præſeruanda, morbisque ſtipata liberanda vnice laborant Medici. Quis hinc tam

ſtoli-

ſtolide ageret, vt ſe hiſce opponat, atque plus quam ruſticano modo procedat. Vix talis, cui vnica ſaltim particula ſanæ rationis reſtat! Hæc autem omnia cum ex Ethica, Politica, & Moralitate fluant, noſtri non erit officii pluribus adhuc inferre aſſerta hæc, & qui in hac re opus habent inſtructione, fuſius docere; ſed ſufficiet eosdem remiſiſſe ad Ethicos, Politicos & Moraliſtas, a quibus ſi ſufficienter fuerint inſtructi, redire poſſunt ad Medicos; & in his recomprobare ea, quæ didicerunt ab illis.

XVII. Huc pertinet merito etiam, quod ſi contigerit, vt v. g. ſub operatione, vel paroxyſmo durioribus nimis verbis, ex præcipitantia, doloribus ſæuioribus, deſperatione, modo non ipſis verberibus irruperint in medentes atque reliquos Adſtantes, non debere ægros poſtea recuſare debite eadem reuocandi & deprecandi modeſte. Agunt etiam ſatis importune quidam in eo, dum vix data ſufficiente relatione eorum quæ ad cognitionem neceſſaria, ſtatim ſcire deſiderant, morbi denominationem, quam niſi ſtatim obtineant incidunt in eam opinionem, ac ſi nullo modo cognoſcat Medicus ipſe morbum, hincque ad curationem minus ſufficiat. Sed cum ſæpiſſime adeo complicati, multisque diuerſiſſimis ſymptomatibus ſtipati deptehendantur affectus, vt, ne exercitatiſſimus quidem Practicus primo mox intuitu verum & primarium morbum cognoſcere poſſit: minus ergo vitio vertendum iuniori præſertim Practico, ſi interdum in hoc hæſitare ipſi contingat. Et licet denominare quoque Medicus non valeat morbum, ex eo tamen nondum ſequitur, ipſum non cognoſcere ea propter illa quæ ad eſſentiam morbi ſpectant. Ita noui ſæpe oriuntur morbi, qui antea nondum fuerunt obſeruati, quorum cau-

ſas, ſigna, eſſentiam, ſymptomata quidem perſpecta habere atque curare poteſt Medicus practicus, aſt non denominare, niſi ipſe forſan morbum certo nomine inſignire velit: quid, quod idem ſatum pluribus morbis contigiſſe ſtatuere velle non ita abſonum ſit.

XVIII. Attentio diligens vti in vniuerſum vbique & per totum curationis tractum, ita in mediis adhuc recenſitis, in diæta a Medico præſcripta quoad tempus, quantitatem, qualitatem & reliqua, medicamentorumque exhibitione, requiritur quam maxime, & tanquam primarium quid; errores enim, qui ex contrario & neglectu horum ſuborirentur, certe eſſent innumeri, & noxa ex his rediens nullo modo euitabilis. Hæc ſcribendo in mentem venit hiſtoria huc trahenda & repetenda ex praxi B. Parentis: Aurifaber valde decumbens auxilium B. Parentis deſiderans, accipit inter alia Medicamenta puluerem, cuius ſingulæ doſes ſeorſim in chartam pictam, quam vulgo Turckiſch-Papier vocant, inuolutæ erant: poſt dies aliquot, cum B. Parens inuitatus hunc inuiſeret, ex infirmo ægrotante percipit hæc: Er vvolte alles andere gerne einnehmen, vvo er nur mit den Papierlein nicht ſo gemartert und gequälet vvürde; und ſo er deren noch mehr einnehmen müſte, vvürde er ohnfehlbar ſein Leben noch darüber laſſen müſſen. B. Parens optimæ mentis conſcius inquirens vlterius in rem, non ſine ſtupore exaudit ab adſtantibus, ſe putaſſe non ſolum puluerem, ſed vna cum eo chartam debere propinari. O ſimplicitatem! Cui practicorum talia vel per ſomnum in mentem venire poſſent, vt ea propter illos, quos inſtruit de aſſumendorum Medicamentorum modo, quantitate, qualitate, tempore admoneat, ne talem, vel ſimilem committant

erro-

errorem? Certe eiusmodi Medicus sæpissime & in quam plurimis risum commoueret: Interim tamen & hoc aliquando necessum esse videtur vi adducti huius exempli, vt innumera alia in praxi medica passim occurrentia taceamus.

XIX. Ad Obedientiam nunc faciendus est transitus, quam Medicis debent Ægroti, siquidem primum quasi omnium officium est πείθεσθαι *obedire*, & πειθομένους *obedientes* a medicis imperata facere, teste *Coo l. de arte, c. 12*, quod si temere non faciunt, periculo vitæ se exponunt. In huius pertractatione nos in syluam vastissimam positos videmus, ob innumerabilium ferme rerum huc spectantium copiam atque numerum, qui sese ostendit & offert; in singulis enim morbis, iisque in diuersis indiuiduis reperiundis occurrunt diuersæ occasiones, aliam atque aliam obedientiam inferentes, quæ singula recensere hic velle nimis prolixum, imo superfluum foret. Sufficiet hic ex multiplici copia, frequentiora, potiora ac vtiliora attulisse in medium; & primo quidem loco Consultationes & Conferentiæ cum aliis Medicis sub censum veniunto. Sicut autem hæ denegandæ non sunt, ita multo minus pro suspectis habendi ii sunt Medici, quibus curatio commissa est, si in casibus grauioribus, periculosis, rarioribus ac dubiis soli in sese curationes & operationes suscipere non audeant, (id quod iunioribus præcipue Medicis practicis facile contingit:) Sed alios aduocare, conferendi & consultandi causa iubeant, vt propterea eos pro insciis declarent vel omnino dimittant; quia faciunt eo ipso id quod de ipsorum est officio, imo Ægrotantes exin cognoscere possunt, quam conscientiose, fideliter atque caute secum agant & procedant tales Medici. Con-

uentus autem tales minime inſtituendi ſunt ita, vt primum accerſito Medico inſcio alii, iique priori contrarii, vel etiam minus tales, vt empirici, falſarii, inexpertes medicarum rerum iungantur; ſed electio iſti priori relinquenda, ne forſan ex conſultatione tunc fiat altercatio, ægroto ſæpe ſatis fatalis & verificans notum iſtud: *Multitudo Medicorum diſcordium, perdit non raro Cæſarem:* cum e contrario expectandum iſtud, quod habet *D. Præſes* a. l. *Concordia ſeruat, ſi non ipſum ægrum, ſaltim bene actæ rei fiduciam ac veritatem. Et apud Magnates maxime his eſſe opus*, obſeruat ibid. Quæ diſſuadere poſſent Conſultationes haſce, & contra easdem obiici, fuſius proponit Excell. *Bohnius* l. c. & doctisſime dirimit omnia. De loco ſi oriatur quæſtio, vbinam Conuentus laudati inſtitui debeant, ſciendum, quod minime in eo, vbi præſens æger ipſe, vel rudiores quoque quiuis alii, ſuadentibus hoc multis eruditiſſimis Medicis admodum vtiliter: bene tamen vbi adeſt amicus ægroti prudens, vel alius non omnino ignarus, id quod de Conſultationibus Magnatum ægrotantium ſuper morbos inſtitutis & celebrandis maxime valet; vt ſcilicet quis ſit, qui teſtari poſſit, niſi ſcripto concluſa ſint edata, occurente neceſſitate de iis, quæ ibidem tractata & concluſa fuerint: quoties vero celebrandi ſint tales Conuentus, Medicis ipſis enunciandum relinquitur.

XX. In medium deducenda nunc veniunt quoque ipſa Medicamenta, quæ, vt non modo vniuerſaliter aſſumenda; ita etiam quantitatis, modi & temporis ratio in Medicamentorum exhibitione habenda quam maxime eſt, errores enim in his commiſſi, quantum ſæpius obfuerint, & adhuc quotidie obſint, praxis vberrime docet, & exempla

talia,

talia offert innumera. Sibimet ipſis hac in re valde aduerſantur ii, qui non modo ordinata Medicamenta non aſſumunt, ſed in terram, extra feneſtram, modo non ſecretiora in loca proiiciunt: ſed tales cui nocent? Certe non Medico, ſed ſibimet ipſis maxime! Si ægrotantes lubenter aſſumerent Medicamenta ſine formarum diſcrimine, non opus haberent Medici illos decipiendi & ſtrategemata in eosdem excogitandi, quatenus ſi eundem v. g. puluerem, quem antea in ſua ſubſtantia nullo modo admiſerunt, tamen accipiunt in Bolo, Electuario & aliis, licet id Medici non adeo ſemper attendant, ſi modo eundem finem obtinere poſſint: ſiquidem etiam *αἱ τοῖσι κάμνουσι χάριτες, ægrotantibus gratificationes* debentur, quantum fieri poteſt. Paucisſimis hic innuendum, quod quidam Medicamentorum nimis voraces deprehendantur, quatenus non modo maiori doſi, ſed & frequentiſſime, licet quoque non ſint ægroti, adſumunt; ii ſciant, quod aliquando, ſi opus maxime habeant iſtorum Medicamentorum viribus, parum vel nihil omnino auxilii inde ſperare & expectare poſſint, quia tunc non vlterius conſideranda ſunt talia vt Medicamina, ſed vt alimenta potius per longum & nimium vſum ex iis talia reddita. Elegantiſſimum locum hanc in rem offert Primeroſius in Tr. de Erroribus vulgi in Medicina Lib. IV. Cap. 6. pag. 350. *Pharmaca*, inquit, *omnia naturam habent corpori noſtro quodammodo aduerſantem, quoniam illud alterant, alias non forent Medicamenta, & ſic quoque lædere poſſunt. Illis quidem vtimur, vt corpus a ſtatu præternaturali ad naturalem reducamus. Sed ſi ægri aut præpoſtere aut diutius ſæpius quam par ſit illis vtantur, ex ſalutaribus cauſis tandem morbificæ fieri poſſunt, & ſuas alienas, ſcilicet a corporis natura, qualitates imprimunt, ſicque corporis temperiem a-*

uertunt, vnde recte vulgari prouerbio fertur: Misere illos viuere, qui medice viuunt. Pessime quidam contra obedientiam faciunt, dum Medicamenta ordinata ipsa, vel saltim vehiculum &c. nescio ex qua diffidentia, vel astutia, vel superstitione corrigere, imo interdum omnino contraria commiscendo pessundare non dubitant, & tamen si contrarius subsequatur effectus, eundem a sese in Medicum eiusque medicamenta peruerse & impie deriuant: o quæ conscientia! De tempore adsumendi Medicamenta hic paucissimis notandum, quod obseruatis probe Medicorum hoc in puncto dictis & præceptis abstinendum omnino ab ista superstitione, quam de laudato tempore hauriunt ex calendariographorum obseruationibus & nugis, quarum recensionem vid. apud Primeros. l. a. cap. 10. p. 371. Regimen debitum ante, in & post assumta medicamenta ordinatum, quantum valeat, vnicæ purgationes testantur sufficienter: purgans enim in illo sine dubio citius & melius operabitur qui, obambulando corpus mouerit, quam in altero, qui hoc & alia minus fecerit, cæteris paribus.

XXI. Cum iuxta Galenum in lib. de Theriaca ad Pisonem, tanta sit vis Diætæ, vt non dubitauerit dicere: *Nullum remediam tam efficax esse potest, quod fructum vllum facere possit, nisi recta victus ratio adhibeatur:* hinc a Medicis præscriptam Diætam, tanquam palmarium medium ad sanitatem faciens, lubenter accipiant, & quantum fieri potest, accurate seruent, tam quoad qualitatem, quam etiam quantitatem & modum rerum sub illa comprehensarum, ne irrita reddantur salutaria Medicorum præcepta, medicamentorum vires annihilentur, morbus vero ipse peior efficiatur, symptomata grauiora inuitentur, ac Medici secum simul in damnum irreparabile præcipitentur. Temperatus hinc aer vtplurimum commendatur, & recte agunt in eo Ægri, si nimio calore se vexari & eneruari, item grauioribus & ponderosioribus tegminibus in lectulis suis excruciari non patiantur: modo non iusto frigidiorem

rem illum ipſum, hæc vero abeſſe omnino velint. Locus in quo Æger ſe detineat, an elatior, an inferior, an obſcurior, vel lucidior eſſe debeat, nec ne, Medicus pro varietate circumſtantiarum, ſymptumatum, morborum, partium affectarum optime determinabit ipſe. Idem ſentiendum de ſitu, quem Æger ſeruare magis debeat: nam vnus atque idem non omnibus deprehenditur utilis. De Cibo & Potu notandum, quod non modo noxia vitanda omnino, ſed & in admisſis a Medicis in minore quantitate, peccandum in exceſſu minus ſit: præſertim ſi ſemel iam deprehenderint noxam inde redundantem, ipſosque ſaltim in hoc infantes ſequantur, de quibus prouerbium nemini ignotum: Ein gebrandt Kind fürcht das Feuer. Quantitatis quoque probe in hoc habenda eſt ratio, ne vltra appetitum multa ingurgitent, nec etiam quæuis: pesſime hinc ſæpe adigere conantur domeſtici vel adſtantes Ægrotantes, vt comedant, cum tamen vires ventriculi, calor, conſuetudo ad concoquendum & digerendum non adſint ſufficientes, imo natura in optima operatione ſæpe hoc modo turbetur. Non minus probe obſeruandæ ſunt regulæ de motus qualitate & quantitate a Medicis concinnatæ, quas paucisſimis ita explicat Celſus: Lib. I. c. I. p. m. 22. *Ignauia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectam, hic longam adoleſcentiam reddit.* De Somno & Vigiliis valet idem, quod dictum eſt de motu. Circa Excernenda & Retinenda itidem non detrectabit Medicus, quomodo, vbi, quando adminiſtranda, conſilium ſuum dare: præ reliquis ſanguinis naturales & artificiales quoque euacuationes, certis temporibus ſolennes a natura vel Medicis ipſis redditæ nunquam negligendæ, ſed conſuetis terminis accurate celebrandæ ſunt: vel etiam extra huiusmodi tempus ſi fuerint vtiles repertæ, non ſint adeo pertinaces, vt non niſi ſtato tempore, vel in eo caſu ſaltim vbi mors proxima, a qua tunc, ſi Diis placet, debet liberare: idem valet de loco, vbi inſtitundæ ſunt eiusmodi emiſſiones, vt non niſi vnico in loco hoc permittere velint; ſiquidem omnia hæc faciant ſine fundamento, ratione & experientia: conſultum hinc erit & hoc quoque in caſu ſeſe totos Medicis tradere. Occurrit vlterius Venus, quæ licet in quibusdam remedio eſſe poſſit, tamen in grauioribus morbis nunquam locum inuenit, ſiquidem

hæc adhuc maiorem inferret iacturam Spirituum, toni neruorum atque virium. Consuetudini vt nunquam non parum & a vulgo & a Medicis in statu sano tribuitur, ita in morboso non omnino negligenda est eadem, vel ad minimum ab vno extremo in alterum commutatio non facile instituenda. Conscientiam æque ac Obedientiam admodum macularent ii, qui contagioso morbo inquinati, conuersationem cum aliis fugere nollent; sed totam domum, familiam, pagum, ciuitatem, rempublicam corrumpere & in periculum præcipitare:

XXII. Tandem, licet iam morbus fere omnino fugatus videatur, tamen liberiori aëri, præsertim æquinoctialibus temporibus, sese velle committere sine venia a Medicis accepta, summe esset periculosum, præcipue si sæpius & subitanee contingant eiusmodi mutationes, v. gr. æstus cum frigore, cubiculi calefacti cum cella frigida &c. siquidem morbus hoc modo facile recidiuam pati vel omnino mortem post se ducere possit, id quod frequentissime in Variolis, intermittentibus & aliis Febribus contingit, quibus in casibus causam in Medicum & Medicamenta adhibita velle referre impium esset: contra naturalia, civilia ac diuina præcepta agunt, qui insuper pœna afficere Medicos non dubitant, & quidem tam graui, vt ZERBI contigit, qui Medicus Turcicus erat, & Bassam quendam sanitati restituit & liberauit a morbo; qui vero cum recidiuam passus esset, vna cum eius Filio serra iussus fuit secari. O Tyrannidem!

XXIII. Ast licet nunc sufficienter dictum sit de Obedientia Medicis ab Ægrotis præstanda, tamen verendum quam maxime est, ne sæpissime & in quam plurimis, si non omnibus, veteres nihilominus inualeant errores, & quod de Magnatibus tantum dicit D. Præses c. l. in aliis quoque frequentissime verum deprehendatur: *Felix*, inquit, *Medicus, qui obsequentem, confidentem & sapientem sortitur ex Magnatibus Ægrum in vtroque sexu.* Maxime vero hoc loco reiiciendum est, quod multi ex Magnatibus non distinguant inter statum politicum & morbosum, quatenus in illo se accommodare ad alterius præcepta non semper liceat, bene vero in hoc, vbi Gubernatoris & Imperatoris vices subeat Medicus, in statu vero

politico

politico Principes atque Magnates tales veniant respiciendi. Bene de his iam olim teste Thiermairio in Consult. & Schol. Medic. L. I. C. II. p. 138. ponunciauit Hieron. Faber Celeb. Archiater Bauaricus ita: *Qui viuunt prout volunt, curari debent, prout possunt.*

XXIV. Quo frequentius contingit, quod homines ad pristinam sanitatem reducti, loco gratitudinis, ingratitudinem; loco sostri, odium; loco præmii, maleuolentiam & inuidiam exhibeant Medicis, eo maiori cum pondere & diligentia nunc erunt adhortandi, ne tam peruerse & inique in posterum quoque cum iisdem agant. Denn ein Arbeiter ist seines Lohnes vvehrt, und nachdem er gearbeitet, so vvird ihm auch gelohnet. Certe si vbique obseruarentur hæc optime pronunciata in Medicis quoque, vbique terrarum ditissimi hi essent. Sub examen hic primum sunt vocandi Pauperes, qui neque laborem, multo minus medicamenta adhibita pecunia soluere possunt: horum officium est, ad minimum ore saltim erga Medicos sese ostendere gratiosos, & adprecari, vt ipsis a Ter Optimo restituatur id in aliis, quod dare non possunt: quo facto hi vberrime officio suo & simul quoque Medicorum desiderio super hoc punctum satisfecerint: vix enim concipi vel fingi potest Medicus Christianus, tam auarus, qui vi exigeret & exprimeret ex quodam illud, quod non habet, multo minus qui postulet, vt succesfive compitatim quærat tantum, quantum sufficiat. Hunc in finem Medico optime notanda verba profert laudatus D. Præses l. c. *Quod Medici debeant esse Eleemosinarii publici.* Ditiores autem & primarii generis viri & matronæ e contrario non detrectabunt, non modo verbis, sed & præmiis insuper gratum contestari animum, hocque modo restituere illud, quod pauperes, & infimæ sortis cohors Medicis debuerunt. Nunc ad mediæ quoque conditionis homines accedendum, quorum sane maxima pars ingratitudinis adeo studiosa atque rustica deprehenditur, vt non modo gratias nullas agant, sed insuper quoque nec laborum, nec medicamentorum soluendorum rationem habeant; imo quod maxime damnosum & iniquum, si de hoc admoneantur, acutissimis verbis, vel in faciem vel per alios, quoque respondeant v. gr. Wenn er nicht vvarten vvill, so mag

er hin lauffen, vvo er hin vvill, ich habe mehr auszuzahlen, als das Seinige: ich vverd ihm nicht davon lauffen. Id quod alii paulo ciuiliori, culpa tamen non libero modo faciunt obseruante Ammano in Med. Critic. pag. 70. *Medice vivere, pessime vivere, ratione sostri reliqui enim artifices postulant, quod meriti sunt, nostra vero remuneratio discretioni Patientis relinquitur, qua si destituitur ipse contenti debemus esse blanda illa compellatione: Ich bin des Herrn sein Diener.* & pag. 23. *Chiragra Patientum nunc valde familiaris est erga Medicos, licet in morbis iisdem totus promittatur orbis: Hinc accipe dum dolet, post morbum Medicus olet.* Experientia optime respondet dictis memorati viri in Colleg. Medic. Politic. *Avari, ingrati, rudiores, imperiti, impii, etiam moniti saepe non soluunt, boni vero moris sponte & cum foenore quoque.* Satis contra sanam agerent rationem, nimisque rudes essent, qui omnem gratitudinem & debitum Medicis detrahere vellent, si æger mortuus esset, Medicusue finem suum propositum, sanitatem scilicet, in illo non obtinuisset, quoniam hoc non fit culpa Medici & medicamentorum, lege artis adhibitorum, sed deprauationis naturæ, qua decumbente & nolente omnis labor, ars atque Medicamenta frustra adhibentur.

Contra vim mortis non est medicamen in hortis.

Quomodo autem in vniuersum officio suo in hoc debeant fungi Ægroti, docent sequentia laudati D. Præs. verba: *In morbis malignis, inque visitationibus nocturnis præ diurnis variari debent quam maxime sostra & præmia medica, mutant hæc ipsa diuersitates Medicamentorum, Visitationum, Laborum, Itinerum. In vniuersum vero, non seruile sit sostrum medicum, sed honorarium, sordidioribus seruile debetur sostrum.*

Bis dat, qui cito dat, nil dat, qui munera tardat.

XXV. Sostra fixa & annua qui constituunt & soluunt Medicis, omnem propterea merentur laudem, non enim hoc faciunt sine singulari totius familiæ commodo; namque eo ipso reddunt maiorem obligationem Medicorum erga sese, quam quidem habent in vniuersum erga omnes, respective: modo non interdum excedant laborum & medicamentorum per annum adhibitorum impen-

impenſus, id quod ex pacto erat conſtitutum; ubi merito Ægroti tantum adhuc ſupperaddent, quantum neceſſum & æquum fuerit viſum: imo præterea, ſi Medicorum videant diligentiam vbique adhibitam, conſultum erit munuſculis extraordinariis eosdem magis adhuc excitandi, vel ſaltim tales conſeruandi.

XXVI. Hippocrates Epiſtola 20. ad Democritum ſcribit: *Medicæ artis, o Democrite, recte facta plerique ex vulgo hominum non omnino laudant, verum Diis ſæpe attribuunt, ſi vero natura reluctata perdiderit eum, qui curatur, Medicos reprehendunt, Numen prætereuntes.* Quid magis hodiernis temporibus accommodari poteſt? certe quotidiana experientia exacte comprobat hæc recenſita: quid autem inuoluunt aliud hæc ipſa quam maleuolentiam, ingratitudinem atque ignorantiam? quid autem magis deteſtandum eſt quam hæc vitia, præſertim ſi iisdem maculentur tales, qui de ſanitate omnium adeo & vnice occupati ſunt & laborant? Satis ſiniſtre hinc iudicant multi ſicut de aliis, ita præcipue de iunioribus Medicis practicis, ſi ſoli non audeant ſuſcipere curationem, vel operationem aliquam grauiorem; ſed nonne melius ſic procedunt, quam ſi ſanatione ſiniſtre cedente famam ſuam, patientis vero vitam & ſanitatem periclitare velint? Et quis omnes modos recitabit, quibus a Medicorum fama conantur detrahere permulti? ſufficiant hæc quæ tanquam oppoſita ſatis oſtendunt atque inferunt, id quod vltimo loco ex Ægrotis requirebatur, ſcilicet vbique de Medicis non niſi bene ipſis iudicandum, imo debita laude extollendos præſentibus aliis eſſe eosdem.

XXVII. Verba tandem quædam adhuc ſunt facienda de *Conſtantia;* hæc vti in vniuerſum non eſt infima virtus, ſic etiam requiritur maxime in Ægrotantibus: opus autem ipſis eſt eadem (1) in Medicis electis ſeruandis, nam ſi quotidie alius alteri ſubſtituitur, boni nil inde venire poterit, tam ex parte Ægroti, quam morbi, atque Medici ipſius: ſic enim prioribus relictis, præſertim ſi non conferant inuicem obſeruationes, & adhibitam adhuc medelam, ſæpiſſime fiet, quod vulgo dicitur: Was einer gut macht, verſchlimmern die andern, ſiue etiam: Was die erſten verdorben haben, ſoll endlich der letzte wieder gut machen: Et illud quidem con-

contingit, si primum adhibitos veros Medicos reiiciunt, eliguntque falsarios & medicastros: hoc vero, vvenn kein Schinder, Schäffer, Scharffrichter, Zauberer, Zauberin, alte Frau und Vettel im gantzem Land mehr anzutreffen, so nicht schon vväre gebraucht vvorden, und sodann erst rechtschaffener Medicorum Rath und Hülffe gesuchet vvird. Quibus omnibus facillime quiuis supersedere potest, si in eligendo rite processerit: Stultus enim vt Luna mutatur. (2) Opus eadem est in referendo, vbi eo respiciendum est, ne contradictoria adferantur, vel postea negetur, quod sub initium erat affirmatum, & contra: eo ipso enim Medicus dubiosus redderetur, vt nesciat, cui nam asserto, vtrum priori, an vero posteriori fidem tribuere possit? qualiaue hinc remedia tuto ordinare debeat, ac possit? Non minor (3) requiritur in adsumendis medicamentis; hinc non statim reiicienda ea medicamina, quæ semel iterumque adhibita non illico exeruerint effectum sensibilem optatum: multo minus alia aliorum medicamenta, a Medico præscriptis adiungere conuenit, vid. *Primerof. de Vulgi erroribus in Medicina Lib. 3. cap. 4. 5. & 6.* Hic quoque ratione temporis obseruandum, quod curatio & exhibitio medicamentorum tamdiu sit continuanda, ac quidem vtile & necessum fuerit visum ipsi Medico. Faciunt (4) contra Constantiam, qui Medicos, Chirurgos, Operatores, ad operationem instituendam iuuitarunt; his vero determinato tempore accedentibus, quouis modo omnia differenda cupiunt; & hoc non semel, sed iterum iterumque: pessime vero agunt, qui etiam exclamationibus & prouocationibus, nec non citationibus ad nouissimi diei iustissimum iudicium inuitant Medicos, Chirurgos, si non faciant in præsenti, quod officium ipsorum requirat, & operationem non suscipiant: cumque id peragere velint, maioribus adhuc expressionibus, imo damnationibus detrectent: quod de puerpera recensebat Excell. Dn. D. Sleuogtius in Collegio Anat.Chirurg.Commendat se tandem (5) Constantia in reliquis omnibus iis, quæ erga Medicum obseruanda præcipiebantur in tota hac Sect. 2. &c.

EPILOGUS.

Licet satis fuse nunc tractatum sit de officio Ægrotantium, tamen posset adhuc quæstio institui hoc Aristophanis prouerbio: Τίς ἐστιν ὄρνις οὗτοσί; *Quæ est hæc Auis?* Id est, vbinam reperitur talis, qui faciat hæc imperata? Certe exiguus eorundem quotide deprehenditur numerus: sufficit possibilitatem nos singulis in locis demonstrasse: quod si vero non velint & tamen possint Ægrotantes contribuere ea quæ ab ipsis requiruntur; habeant sibi, & accipiant inde prouerbii notissimi effectum, quod ita sonat: *Quale quis vult antecedens, tale etiam debet velle consequens*: hinc si accurate obseruata fuerint recensita hæc officia, non potest non gratus quoque & desideratus effectus subsequi nutu diuini numinis, & cæteris paribus: Et contra. Hæc sunt quæ instructionis loco Ægrotantes in officio sibi competente expectare a nobis tanquam Medicis possent: quod Politica, Theologica, Iuridica, Moralia, attinet, de quibts moneri adhuc possent Ægroti, ab iis petendum, qui ex professo tractant hæc singula, & quibus hæc competunt ac debeantur.

S. D. G.